



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

10. Quanti meriti sit misericordia erga ægrotos?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

mala mente quærere quierunt; quemadmodum multi parentes filios suos non rarò quærunt, vt eos vel à ganea abducant, vel è religioso ordine ad mundi vanitatem retrahant, quos plerumq; postea habent vitæ suæ, si non carnifices, saltem tortores. Sed demus, nihil quaesierint Iuliani progenitores cum peccato; quis credat fuisse adeò innocentes, vt diuina iustitia nihil in eis reperit pœna dignum? Et forsitan hæc ipsa pœna beneficium extitit: cum leuissimo Purgatorio, nulla violenta mors sit comparanda.

X.

Sed hæc disputare non est huius loci. Illud, illud hic iterumq; iterumq; monebo, quanti sit, apud Deum, meriti, miseris succurrere, ægrotos eiulantes non surda aure transire; eos, si adsint, non amoliri; si absint, accersere, in tecta tua inuitare, ijs necessaria ministrare. Hoc est, quod Isaias ait: *Frangere esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Nullum hic faciendum est discrimen, Notus sit, an ignotus, homo est, quem in via inuenis saucium. Impone illum iumento tuo. Deporta ad hospitium, & curam illius haberi iube. Caro tua est, tuæ est naturæ. Nonnè vides, canes ipsos, si in venatu læsi sunt, lingi à canibus? bestia curat bestiam, & hominem homo negligit? In Vitis Patrum, frater aliquis interrogauit senem quemdam dicens: *Si videro fratrem, de quo audiui aliquam culpam, non possum suadere animo meo, vt introducam illum in cellam meam si autem videro bonum fratrem, ipsum libenter suscipio.* Et dixit ei senex: *Si facis bonum fratri bono, illi parum, alteri duplum impende: ipse est enim qui infirmatur.* Et plus facis, si facis aliquid ei, erga quem afficeris minùs. De magnis benefactoribus cum ageret Seneca, ista scripsit. *Quid assedisse agro, & cum valetudo eius ac salus momentis constaret excepisse idonea cibo tempora, & cadentes venas vino refecisse, & medicum adduxisse morienti? Hac quis astimabit? quis similibus beneficijs iubebit beneficia pensari?* Apud Xiphilinum, & Dionem Niceum, Cn. Pompeius Magnus, cum, post bellum cum piratis gestum, in Asia non tantùm Mitridatem Armenia Regem potentissimum vicisset, sed fugasset etiam penitus: urbem Nicopolim in eo agro, in quo victoriam peperit, ædificauit: in eaque saucios

Ma 38. 7.

Heribert.
Rolvveid 1,5
de vitis PP.
libell. 17.
n. 23.

Senec. lib. 3.
de benef. c. 9.

faucios milites, & eos, qui jam per ætatem bellum gerere non possent, habitare iussit. Tanti Ethnicus vel senio, vel morbo graues fecit. C. Iulius Cæsar, teste Suetonio, C. Oppium valetudine subita correptum, in itinere non dereliquit, sed humi ac sub dio cum eodem aecubuit. Tiberius Cæsar Rhodi omnes egros notos & ignotos visitauit. Sed longè magis nõrunt æstimare pretium charitatis, in schola Christi versati. *Quidam frater requisit senes, dicens: Si duo fratres in una sunt cella, & ille quidem vnus sex diebus integris ieiunat; ille autem alter infirmitati facit obsequium; cuius ergo opus maius est apud Deum? Respondit senex: Si ille qui ieiunat sex dies, per nares se suspenderit, non erit similis illi alteri in conspectu Dei.* Bona sunt ieiunia, bonæ vigiliæ, bonæ orationes, bonæ corporis afflictiones: sed maior horum est charitas.

Heriberti
Rolyveid. l. 7.
de vitis PP.
cap. 19.

Ad quem autem pertinet hanc exercere charitatem? Vno verbo respondet Christus: ad proximum: *Et quis meus est proximus?* inquires. Hoc ipsum quoque docet Christus in parabola Samaritani. Quamquam non sunt tantum proximi charitate, sed etiam obligatione. Samaritanus proximus fuit charitate, Sacerdos, & Leuita proximi erant obligatione. Erubescendum est, sæpe eos minus facere, qui deberent ex officio facere; & alienos esse domesticis liberaliores. Parentes filijs, filios parentibus agris succurrere debere, naturæ lex est. Idem lex matrimonij iubet, de qua re luculentum sanè coniugalis charitatis exemplum alibi dedi, in Clara Ceruenta Bernardi Valdauræ conjugæ, quod et si & huc spectet, hinc tamen non est repetendum. Sed id maximè etiam pertinet non solum ad seruos & ancillas erga dominos & dominas, verum ad ipsos etiam heros & heras erga famulos & famulas, ne eos eiciant è domo ægrotantes, quos libenter habuerunt validos & laborantes. Quæ ista est immititas? quæ inhumanitas, claudos, debiles, infirmos, qui in domum inducendi essent, ex domo & tectis expellere? Christum ipsum à vobis, ô inhumani, expellitis, à cuius vestigijs nimis longè abestis. Suscepit ille infirmos, curauit, sanauit. Quod neque Angeli officium detrectauerunt.

XI.
Luc. 10. 29.

Tom. 2. de
Iudicijs, quæ
Deus exercet
in hoc mun-
do. cap. 24.
§. 9.

Ægrotant aliquando senex quidam, qui solitarius habitabat:

XII.

Bbb 3

& Heriberti.